



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorum Qvoque Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1681

Caput II. De præstantia Sacerdotij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48600)

*Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum
sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

Domine, non sum dignus, &c.

*Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum
sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

*Corpus Domini nostri IESU Christi, custodiat
manum meam in vitam eternam. Amen.*

CAPVT II.

DE PRÆSTANTIA
SACERDOTII.

Duplici plerumque ex capite colligi potest præstantia alicujus rei. 1. Ex ipsa intrinseca rei natura seu essentia. 2. Ex virorum prudentium & peritorum testimonio. utroque hoc capite etiam hoc loco præstantia Sacerdotii demonstrabitur.

§. I.

De intrinseca Præstantia Sacerdotii.

I. Experientia quotidiana docet, tantò præstantiora plerumque inter Homines officia, statúsque censeri, quam amplior illis potestas conceditur; hinc Archiepiscopus Episcopo, & Papa dignior utroque censetur, quia hic super omnes Fideles, illi verò super aliquos duntaxat, eamque limitatam satis potestatem habent. Ex quo fundamento rectè concluditur, summam Sacerdotio præstantiam, & dignitatem inesse debere, cum triplicem potestatem nulli alteri homini, quam Sacerdotibus concessam contineat, quarum

II. Prima est potestas Sacrosanctum Christi Corpus Sanguinem consecrandi, atque adeò Sacrificium DEO gratissimum offerendi; ex quo quanta dignitas exurgat Sacerdotibus, vel ex eo colligere licet, quòd juxta SS. Patrum Theologorum sententiam B. Virgo ideo summam præstantiam & dignitatem hominibus dignitatem sit assecuta, quòd ad Filii DEI incarnationem assensu suo, sanguinéque subministrato fuerit

cooperata ; quidni ergo summam pariter Sacerdotibus dignitatem ex eo obvenisse credamus, quòd per consecrationem suam potestatem acceperint, non carnem duntaxat, sed animam etiam Christi, ut multi docent, producendi ; id quod sapienter agnovit S. Augustinus hom. 2. dum dixit: *Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus DEI Filius velut in utero Matris incarnatur.* Jam verò si ipsum, quod potestatis hujus virtute offertur, Sacrificium perpendamus, an non singularem iterum Sacerdoti ex ejus oblatione dignitatem & excellentiam obtigisse fatebimur ; si enim, teste S. Paulo ad Hebræos c. 8. tantò melius quis sortitus est Ministerium, quantò melioris testamenti Mediator est, seu quantò perfectiora DEO Sacrificia offert, quis jure neget, quemadmodum Sacrificium incruentum à Sacerdotibus nostris offerri solitum omnia bona per veteris testamenti sacrificia significata velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur (ut Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. testatur) atque adeò perfectione & dignitate infinites superat, ita Sacerdotii quoque Christiani Ministerium non omnem modò Laicorum eminentiam, sed antiquorum etiam Sacerdotum honorem ac dignitatem longissimè superare, ut adeò meritò de Sacerdotibus dici queat, quod B. Algerus l. 2. de Sacram. c. 3. de ipso Sacrificio Missæ sequentibus verbis pronuntiavit : *Multiplicitatem sacrificiorum veterum singularitate Sacrificii sui abbrevians (Christus) occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unico suo Sacrificio remissionem, redemptionemque faciens peccatorum, profectumque fidei, ceterarumque virtutum ad vitam æternam perducat. Ceterarum omnium hostiarum vim & dignitatem magnitudine sua & præstabili dignitate obruit.*

III. Altera potestas circa peccata remittenda versatur, qua istis Episcopi consecrantis verbis confertur : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remisseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* De qua potestate breviter, sed præclare S. Chrysostomus in illa verba, *Quodcumque ligaveritis &c.* loquens, *Quidnam, ait, hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum celestium potestatem illis (Sacerdotibus) à DEO esse concessam ? quorumcumque enim,*

ait, peccata retinueritis, retenta sunt: quam, obsequi potestas hæc unâ major esse queat? Et iterum 1. 5. de Sacerd. c. 3. Qui in terra versantur, inquit, his communitum est, ut ea, quæ in calis versantur, dispensant; in tantum est, ut potestatem habeant, quam DEVS optimus ne Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Hæc quidem terrestres Principes vinculi potestatem, verum in porum solum, id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, & ad calos usque perdit. Et ideo nempe ipsi Reges & Imperatores à peccatis solvi cupientes genua coram Sacerdotibus flectunt, ut hoc situ eisdem quoad hanc potestatem Judices suos, ad adedò dignitate Superiores confiteantur.

IV. Tertia tandem potestas est Sacramentorum reliquarum administratio, aliarumque functionum ad curam marum pertinentium susceptio; si ergo quò altior ampliorque potestas est concessa, tantò sublimior quoad dignitatem ab hominibus æstimatur, quantum Sacerdotio excellentiam & sublimitatem oriri ex hoc creditur, quòd eidem amplissima hæc, nullique unquam hominibus concessa divinorum, altissimorumque Mysteriorum, per quæ ut Tridentinum sess. 7. in procem. loquitur, omnis justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, dispensatio est commissa; ut adedò meritò S. Paulus Coloss. c. 4. Archippo dici iusserit: Vide (id est, bene considera, & magis æstima) Ministerium, quod accepisti, illud impleat; nam, ut rectè Eusebius Emysenus hom. Sacram. dixit, sicut ad nutum præcipientis Domini reperta ex nihilo substiterunt excelsa calorum, profunda fluctantia vasta terrarum; ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis, Ministri verbis præbet divina virtus, & servit effectus. Unde iterum Apostolus hanc potestatem considerans, Sic nos existimet homo, inquit 1. Cor. 4. est, non ut vulgaris dignitatis aut potestatis Personas consideret, sed ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI; atque adedò 2. Cor. 6. meritò requirat, ut non dent ullam offensionem, ut non vituperetur Minister eorum, sed in omnibus exhibeant semetipsos sicut DEI Ministros.

V. Quæ omnia ponderans S. Chrysoſtomus hom. 6. in cap. 2. Timoth. dixit : Sacerdos quaſi communis quidam omnium Pater eſt ; dignum igitur eſt, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, ſicut & DEVS, cuius fungitur vice. Et iterum hom. 6. de Sacerd. Eum, inquit, qui pro univerſo orbe terrarum, qui pro civitate tota, quaſi diſco civitate ? imò verò pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque eſt apud DEVM, ut omnium non modo viventium, ſed etiam mortuorum peccatis propitiuſ fiat, qualem quaſo eſſe oportet ? Equidem neque Moysiſ, neque Elia fiduciam fore ſatis unquam putaverim ad ſupplicationem huiuſmodi peragendam, quandoquidem quaſi munduſ univerſuſ illi conceditur, atque adeo omnium ſit Pater, ſi ad DEVM accedit ipſe deprecans. Porro illum ipſum oportet tantò in rebus omnibus præſtare, pro quibus intercedit, quanto par eſt, ut Subdituſ Præſectuſ antecellat.

§. II.

De Præſtantia extrinſeca Sacerdotii,
ſeu ex aliorum teſtimonio.

PRIMUM

TESTIMONIUM DEI.

I. Triplici indicio DEUS manifeſtavit, quantopere ſacerdotale ſtatum æſtinet, & diligat. Primum eſt, quòd tantam illi poteſtatem contulerit, quam nulli alteri homini conceſſit ; hinc Innocentiuſ III. de pœn. & remiſſ. cap. nova quædam. ait ; Licet beatiffima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apoſtoliſ univerſiſ, non tamen illi, ſed iſti Dominuſ claveſ regni calorum commiſit. Sed & S. Chryſoſtomuſ apud Beſſæum l. 1. de Sacerd. c. 5. adſtipulans, Qui terram incolunt, ait, atque in ea verſantur, iſſ commiſſum eſt, ut ea, qua in calis ſunt, diſpenſent ; iſſ datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam DEVS optimuſ Maximuſ neque Angeluſ, neque Archangeluſ datam eſſe voluit. Et clariuſ l. 3. de Sacerd. referens hanc originem ad ſolum DEVM, Sacerdotiuſ quidem, inquit, in terra exercetur, ſed

sed tamen inter calica officia referendum est, quippe mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Pareoletus Ordinis ejusmodi disposuit. Ut adeò meritò de hac potestate illi Jobi c. 41. usurpari queat: *Non est super terram potestas qua comparetur ei*; ipsèque Sacerdos cum veritate in illi Josephi Patriarchæ verba erumpere possit Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habet in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestas*.

II. Secundum indicium ex eo desumitur, quòd tantum Sacerdotibus honorem exhiberi præceperit; nam inprimis per Ecclesiasticum c. 7. præcepit: *In anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica; in omni virtute diligite illam, qui fecit te, & Ministros illius, ne derelinquat quasi proximo post se honore eosdem affici vellet.* Unde Zach. 2. dicit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et iterum Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Quapropter meritò S. Ignatius Martyr Smyrnenis scribens, *Honorate, inquit, Sacerdotium secundum Christum, & post honorare oportet etiam Regnum Sacerdotium enim est summa omnium honorum, qua in cælestibus consistunt.* Et S. Gregorius Papa Mauritio Imperatori scribens, *Sacerdotibus, ait, non ex terrena potestate Dominus meus citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

III. Tertium indicium est, quòd tam severè punirentur aut puniri præceperit eos, qui Sacerdotes læserunt; quod enim nescit Core, Dathan, & Abiron Num. 16. ob offensam Aaronem hiatu terræ absorptos esse? quis nescit, eorum complices eà de causa murmurantes ab ultrice flamma consumptos? quis nescit, Mariam sororem Moyse ob fratrem injuriis laceffitum subitâ lepra percussam esse? quis nescit eum Deut. 17. præcepisse: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Et iterum per Psalmistam Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Si ergo in eos, qui veteris Testamenti Sacerdotes læse-

tunt, tam severè animadvertit, quantum de violatoribus Sacerdotum novi Testamenti pœnam exiger. Id certè non semel factò ipso ostendit, maxime in Nantino Comite Engellimensi, de quo Baronius ad annum 583. testatur, quòd, cum in Heraclium Burdigalensem Episcopum, aliòsque DEI Ministros multa mala patrasset, tam ardenti febre correptus est, ut exclamare fuerit coactus: heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad iudicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injurias me intulisse Pontifici, mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Quibus dictis infelicem animam effudit, corpore adedè denigrato, ut prunis superpositis combustum fuisse crederetur. Sed & Valencis Imperatoris cubicularius, quia sanctum Sacerdotem Aphraatem pessimè tractaverat, innox in balneum ingressus, mente captus est, & in aquas calidas delapsus vitam finivit, uti Nicephorus l. 11. hist. Eccles. c. 25. refert.

SECUNDUM

TESTIMONIUM CHRISTI.

I. Triplici etiam ipse Christus testimonio declaravit, quantum opere Sacerdotalem statum æstimet, & ab aliis etiam æstimari desideret. Primum est, dum eo tempore Sacerdotium instituit, quo paulò post moriturus valedicere volebat Discipulis, atque adedè postremum, idque perfectissimum amoris sui erga humanum genus argumentum relinquere; tunc enim accepto pane gratias egit, & fregit, dedissetque Discipulis suis, dicens: Hoc est Corpus meum, quòd pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiterque calicem accipiens & porrigens, Sacerdotii Ordinem contulit Apostolis, ut Tridentinum sess. 2. c. 1. definiit. Quòd si verò & cæremoniæ, quas institutioni præmisit, videlicet Paschatis antiqui abrogatio, pedum ablutio, & magis canaculi electio paulò accuratiùs considerentur, dubitari non potest, quin ea omnia eo potissimum sine sint peracta, ut suam de Sacerdotio hoc à se instituto æstimationem magis declararet, similèmq; etiam posteris conceptum ingeneraret.

II. Secundum testimonium est, quòd singulari semper honore ipsemet Sacerdotes veteris Testamenti affecerit, uti in pri-

in primis S. Cyprianus l. 3. epist. 9. testatur, dicens: *Domine noster IESVS Christus Rex & Iudex noster usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus quamvis illi nec timorem DEI, nec agnitionem Christi præstassent.* Et ideo, teste Anacleto ep. 2. ad Episc. Italiae, *manus sacri Corporis sui tractatores à vilibus ac reprobis non idoneis Personis infamari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccatores Sacerdotes à templo eiecit.* Si ergo Sacerdotibus veteris Testamenti tantum honorem exhibuit, quantum exhibiturus fuisse credendum est Sacerdotibus novi Testamenti, ut qui, sicut ad Sacrificium incomparabiliter perfectius sunt ordinati, ita innumeris quoque partibus Sacerdotes veteris Testamenti dignitate antecellunt.

III. Tertium testimonium est, quòd, ut alios quoque similem honorem Sacerdotibus exhibendum incitaret, etiam deos suos Vicarios constituerit, & honorem, qui ipsis exhibebitur, non aliter se accepturum promiserit, ac si sibi exhibitus fuisset; ita enim S. Chryostomus ho. 17. in Mattheum testatur, dicens: *Sacerdotes Christi Vicarii sunt, & qui honorat Sacerdotem Christi, honorat Christum; & qui injuriat Christi Sacerdotem, injuriat Christum, cujus est Vicarius & Sacerdos.* Quod ipsum etiam Christus ipse confirmavit, dum Lucæ c. 10. dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Si ergo, qui dignam de gemma quâpiam æstimationem concipere desiderat, non melius se illam acquirere potest, quàm si peritum gemmarium, ut optime pretium gemmarum novit, de ea discurrerentem advertat; quis non advertit, non aliud efficacius posse reperiri medium ad dignam de Sacerdotio æstimationem concipiendam, quàm si infallibile hoc, Sapientissimùmque Christum, qui solus uti instituit, ita ponderare quoque solus scit dignitatem Sacerdotii, de eodem manifestatum testimonium merito revolvat.

TERTIUM TESTIMONIUM B. VIRGINIS.

Quantam hæc Virgo sanctissima æstimationem de Sacerdotio, ipsòque Sacrificio Missæ conceperit, illustri testimonio

exemplo declaravit, dum S. Ildephonso Episcopo ipsamet
 Sacerdotalem vestem de cælo allatam obtulit, id quod sic
 contigit Surius 23. Jan. narrat. Cùm S. Ildephonsus Tole-
 tarus Episcopus quondam ad festum Assumptionis Deiparæ
 singulari cum devotione celebrandum se præparasset, eum-
 que in finem specialem Missam composuisset, & Populum
 ad eam ferventer invitasset, accidit, ut, cùm ipso Festo illu-
 cescente cum Clericis suis ad templum manè properaret,
 ipsum templum apertum & magno fulgore illustratum ap-
 pareret; unde omnibus insolito hoc viso territis & receden-
 tibus, solus Ildephonsus ingressus ad Altare accessit, ubi
 Deiparam in throno Episcopali sedentem, & multis Virgi-
 nibus Davidicos Psalmos suaviter decantantibus circumda-
 tam vidit, quæ ipsum ad se vocans sic allocuta est: Accede,
 fidelis DEI serve, & de thesauro Filii mei hoc donum (erat
 autem Sacerdotalis Casula ex candidissima materia confe-
 cta) accipe; cùm enim tantopere nec honorare studueris,
 nunc quidem hæc sacrâ veste ornaris, in altera verò vita
 ipsius immortalitatis gloriosa chlamyde vestièris, & cum
 aliis DEI servis æternum gaudebis. Post quæ verba evanuit
 visio, & S. Ildephonsus plenus cælesti solatio ad Missam ca-
 pta in veste canendam se accinxit.

QUARTUM

TESTIMONIUM ANGELORUM.

- I. Ibi quoque gemino argumento suam de Sacerdotio
 conceptam æstimationem declarârunt, quorum primum est,
 quod Angelus honorem à S. Joanne Apostolo, qui cecidit
 ante pedes ejus, ut adoraret eum, accipere noluerit, sed di-
 xerit: *Vide, ne feceris, conseruus tuus sum*, Apoc. 19. Imò
 Angelus Custos Dequæzi Confessarii S. Salefii Episcopi,
 cum ab eodem prius tam ingrediens domum, quàm egre-
 diens primum honorem accepisset; postea cùm Dequæzus
 Sacerdos factus est, semper secundum honorem sibi vendi-
 cavit, ipso præcedere jussu, ut Nadasi in anno Angel. hebdom.
 23. n. 8. testatur.
- II. Alterum argumentum est, quod accipere ab Angelo
 meruit S. Franciscus Seraphicus, hic enim, cùm Diaconi or-
 dine jam suscepto, dubitaret, num etiam Presbyterii ordi-
 nem

nem suscipere deberet, ideòque ad orationem confugens
 Angelus illi cum lucidissima phiala limpidissimo liquore
 plena in manu apparuit, & his verbis allocutus est: Vide
 Franciscæ; quicumque Sacerdos fieri desiderat, & Missam co-
 lebrare, tam purus debet esse in animo, sicut liquor iste
 simulque ex oculis evanuit, uti in I. r. Chron. S. Franc.
 c. 41. legitur, ubi etiam additur, post hanc visionem S. Fran-
 ciscum nunquam adduci potuisse, ut Sacerdotii ordinem
 susciperet.

Q U I N T U M
 TESTIMONIUM SANCTORUM.

I. Hos inter meritò agmen ducit S. Petrus velut primus
 Novi testamenti Sacerdos, qui usque adeò honorem Sacer-
 dotii sibi aliisque collatum æstimavit, ut Regali dignitate
 eundem comparare non dubitavit, sic enim Sacerdos
 Petr. 2. alloquitur: *Vos autem genus electum, regale Sacer-
 dotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes
 nunciatis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile
 lumen suum.*

II. S. Paulus verò non uno, sed duplici honore Presby-
 teros dignos esse pronuntiavit, dum I. ad Tim. c. 5. dicitur
*Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur,
 tur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Hinc Act. 13.
 23. accusatus, quòd Sacerdotem debito honore non affe-
 set, protinus crimen hoc à se propulsavit, dicens: *Nescio
 nam, Fratres, quoniam Princeps est Sacerdotum.*

III. S. Marcus Anachoreta adeò Sacerdotale munus
 mabat, ut non sine divino instinctu pollicem sibi absceden-
 ne ad Presbyteratus ordinem, quo indignum se credebat
 suscipiendum cogeretur, uti Marchantius in Virga Aaron
 tr. 1. lect. 5. refert.

IV. S. Benedictus amplissimi licet & sanctissimi Ordinis
 Patriarcha, eò quòd Sacerdotium proximum DEO gradum
 crederet, nunquam se persuaderi passus est, ut eundem
 susciperet, eodem Marchantio teste l. c.

V. S. Antonius Abbas Sacerdotes in summa veneratione
 habebat, solitus eisdem caput submittere, benedictionem
 ii

idem captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset, liquet. S. Athanasius in vita testatur.

VI. S. Franciscus Seraphicus tantam de hoc Ordine æstimationem conceperat, ut dicere ausus sit, se, si Sanctus quipiam de cælo descendens simul cum Sacerdote occurreret, prius istius manum ad osculum experiturum, deinde primum Sancto debitam reverentiam exhibiturum, uti in vita à S. Bonaventura scripta videre est.

VII. S. Martinus ab Imperatore Maximo ad convivium vocatus, arreptam pateram primum Sacellano suo, & deinde Imperatori propinavit; causamque rogatus, pluris se Sacerdotis, quam Imperatoris dignitatem facere respondit, uti Severus Sulpitius l. 1. vit. testatur.

VIII. S. Franciscus Borgias, ne Ordine Presbyteratus indignus videretur, orare in dies DEUM, & corpus castigare solitus erat; nec enim ignorabat ad illa adyta illotis manibus irrumperè, sacrilegio affine crimen esse. Vita l. 2. c. 1.

IX. B. Maria Oegniacensis vestigiâ Sacerdotum summam reverentia & demissione deosculari solebat, uti D'Oucreman p. 1. c. 6. §. 4. Pœd. Christ. refert.

S E X T U M

TESTIMONIUM DOCTORUM

ECCLESIAE.

I. S. Gregorius Naz. in epist. ad Episc. sic loquitur: O sacerdotes DEI inœruenta Sacrificia mittentes! O illustres animarum Custodes! O magnum DEI figmentum in manibus vestris gestantes! O DEVM hominibus concilians! O Mundi fundamenta, Vita lumina, Christiana fidei columna, immortalis vita Doctores, Christiferi &c.

II. S. Chrysostomus l. 3. de Sacerd. sacerdotium, inquit, regno tantò est excellentius, quantum Spiritus & carnis intervalum esse potest. Et iterum: Sacerdotes merito non tantum plus vereri debemus, quam vel Principes, vel Reges, verum etiam majore honore, quam Parentes proprios honorare.

III. S. Ambrosius c. 2. de dign. dist. 36. ait: Aurum non tam pretiosus est plumbo, quam regia potestate altior est dignitati. Instruct. IX.

F

gni-

gnitas Sacerdotalis. Et iterum c. 2. §. 7. dist. 96. Quis dicitur, Sacerdotes Christi Regum & Principum, omniumque Fidelium Patres & Magistros censerit?

IV. S. Hieronymus apud Bessæum l. 1. de Sacerdotibus. Sacerdotes vocat Ecclesiæ Apostolos, Patrisfamilias viros, Speculatores Jerusalem, apes per agros volitantes, propeos pendentes à turri David, vineæ sepimentum, cœlestis Sponsæ, lectuli Salomonis custodes, Paræciarum Rectores, Christianismi nobilitatem, Ecclesiæ Senatuum, Præsules, et ceteros, bonorum operum exempla.

V. S. Augustinus conc. 2. super Psal. 37. *Verè, inquit, veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Deus operatur, velut in utero Virginis incarnatur. Hinc super prima Epist. ad Timoth. Presbyteri, ait, qui bene præcipiunt & doctrina, digni habentur à Subditis duplici honore, videlicet ut spiritualiter illi obediant, & exteriora ministrant.*

VI. S. Gregorius Magnus in Epist. ad Mauritium Imperatorem scribens inter cetera sic loquitur: *Sacerdotibus non est regna potestate Dominus noster citius indignetur, sed celeris consideratione propter eum, cujus servi sunt, indignetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

VII. S. Thomas Aquin. super Epist. 1. D. Petri c. 2. de ultimo Testamento, inquit, *Sacerdotium præeminet regno, Spiritus corpori; in veteri verò regnum præeminet Sacerdotio. Ideo ibi regnum, hic Sacerdotium in substantia præeminet, eò quòd ibi ex regno, hic ex Sacerdotio quasi sumitur religio.*

SEPTIMUM
TESTIMONIUM ALIORUM
SS. PATRUM.

I. S. Ignatius Martyr l. 2. Epist. 52. *Honorate, inquit, Sacerdotium secundum Christum, & post etiam oportet honorare Regem. Sacerdotium enim summa est omnium, qua in hominibus existunt.*

II. S. Dionysius c. 1. de Eccl. Hier. *Vt enim, ait, Sacerdotium dicitur, sacrorum simul omnium uno vocatur.*

significavit ordinem, ita & qui Sacerdotem dixit, augustiore
 rem, prorsusque divinum insinuat virum, totius sancta
 conscientia perstissimum, in quo liquidè ac perspicuè sacra-
 tus omnis ordo suus & perspectus sit, & possit agnosci.

III. S. Ephrem l. de Sacerd. exclamat: O potestas ineffabi-
 bilis, qua in nobis dignata est habitare per impositionem ma-
 nuum sacrorum Sacerdotum! O quam magnam in se conti-
 net profunditatem formidabile, admirabile Sacerdo-
 tum.

IV. S. Prosper l. 2. de vit. activ. ait: Ipsi sunt Ecclesia de-
 us, in quibus amplius fulget Ecclesia; ipsi janua civitatis
 aeterna, per quos omnes, qui credunt in Christum, ingre-
 diuntur ad Christum; ipsi Ianitores, quibus data sunt
 claves regni caelorum; ipsi etiam dispensatores regia-
 domus.

V. S. Idorus Pelusiora l. 2. ep. 205. Tantum, inquit, in-
 teresse debet inter Sacerdotem & quemlibet virum probum,
 quantum inter caelum & terram discriminis est. Et iterum
 l. 3. epist. 2. Inter divinam & humanam dignitatem Sacer-
 dotum velut medium interjectum est, ut illam colat, as-
 que observet; hanc autem in melius commutet.

OCTAVUM

TESTIMONIUM CONCILIORUM.

I. Concilium Matisconense 2. c. 15. sic loquitur: Stant
 animus, ut, si quis quemlibet Clericorum honoratorum in-
 terire obviam habuerit, usque ad inferiorem gradum ho-
 noris veneranter illi corda subdat, prout is officia & obse-
 quia fidelissima Christianitatis jure promeruit. Et si qui-
 dem ille secularis equo vehitur, Clericusque similiter, sa-
 culus galerum de capite auferat, & Clerico sincera salu-
 tationis manus adhibeat: si vero Clericus pedestri gradi-
 tur, & secularis vehitur equo, illico ad terram desuat, &
 debitum honorem illi sincera caritatis exhibeat. Qui vero
 horum, qua Spiritu sancto dictante, sancita sunt, transgres-
 erit, ab Ecclesia, quamdiu Episcopus illius Ecclesia vo-
 verit, suspendatur.

II. Concilium Carthaginense IV. c. 34. sic definit: *Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum non patitur. Et c. 35. Episcopus in Ecclesia & in Concilio Presbyterorum sublimior sedeat; intra domum verò Collegam Presbyterorum esse agnoscat.*

III. Concilium Laodicense c. 20. Nicænum c. 28. Trullanum 10. c. 39. concorditer præcipiebant, non oportet Diaconum coram Presbytero sedere, nisi iussione Presbyteri.

NONUM
TESTIMONIUM SUMMORUM
PONTIFICVM.

I. S. Clemens Constit. Apost. l. 3. c. 15. scripsit: *Episcopus elige adutores tuos vita & iustitia operarios, DEO gratos quos ex cuncto Populo maxime dignos probaris, & facies ad molestias & vexationes in usus Ministerii sustinere.* Item l. 7. c. 32. *Constituere Presbyteros homines pios, immunes, non cupidos, veritatis studiosos, probatos, sanctis acceptores Personarum, qui valeant docere sermonem veritatis, recte procedentes in placitis Domini. Vos vere honorate, ut Patres, ut Dominos, ut beneficos, ut benivolendi Authores. Unde l. 2. c. 33. recte concludit: *Honoratur reverentiam adhibentes, omni eos genere honorificite.**

II. Nicolaus Papa dist. 96. c. eod. ait: *In scripturis reperitur, Imperator Constantinus dixisse vere: Si propriis oculis vidissem Sacerdotem DEI peccantem, chlamydem ei expoliarem, & coeperem eum, ne videretur. Hanc sententiam diximus vobis, cunctos vos reddere cupientes, ut ad Domini Sacerdotibus, qui vere Patres sunt, aliquid contigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum Noë filium imitantes paternam de reverentiam contegatis.*

III. Anferus l. 1. q. 3. c. eod. in Epistola ad Hispanos scripsit: *Absit, ut quidquam sinistrum de iis arbitremur, qui apostolico gradu succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, quorum industriam facti sumus Christiani, qui que clavum*

colorum habentes ante diem iudicii quodammodo ju-
dicant.

IV. Fabianus 2. q. 7. c. eod. Sacerdotes, inquit, quos Do-
minus suos esse voluit, non sunt leviter tractandi, nec la-
cerandi, vel temerè accusandi, quoniam eorum sibi causas
Dominus reservare voluit, & suo iudicio vindicare.

V. Anacletus epist. 2. ad Episc. Ital. Dominus, ait, sacræ
sui Corporis tractatores à vilibus & reprobatis Personis in-
famari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio
flagello Sacerdotes à templo ejecit.

VI. Telesphorus 6. q. 1. c. eod. decernit: Omnes, qui ad-
versus Patres, id est, Sacerdotes armantur, infames esse
censemus.

VII. S. Gregorius Magnus ad Joannem Episcopum Con-
stantin. scribens: Ego, inquiebat, cunctorum Sacerdotum
servus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt.

DECIMUM

TESTIMONIUM IMPERATORUM
AC REGVM.

I. Arcadius & Honorius Imperatores C. de Episc. & Cleri-
ca. ed. decreverunt: Si quis in hoc genus sacrilegii proru-
perit, ut in Ecclesias Catholicas irruens, Sacerdotibus &
Ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet injuria,
quod geritur, à Provincia Rectoribus animadvertatur, at-
que ita Provincia Moderator Sacerdotum & Ecclesia Ca-
tholica Ministrorum, loci quoque ipsius, & divini cultus in-
juriam capitali convictos sive confessos sententia noverit
condiscendum.

II. Constantinus Imperator, cum integer ei libellus ca-
lamitatis contra Episcopos & Sacerdotes refertus oblatus es-
set, accepit illum quidem, sed mox non lectum comburi
iussit, indecorum asserens, ut, qui judicari ab ipsis debeat,
eisdem iudicet. Pœd. Christ. p. 1. c. 6. §. 4.

III. Theodosius Imperator, cum ab initio more aliorum
Imperatorum in templis intra cancellos sedem habuisset,
deoque S. Ambrosius indignum hoc ratus, sedem illi aliam

F 3.

extra

extra cancellos, & infra Ecclesiasticos præparari iussisset, modò ægrè non tulit, sed talem ordinem velut convenientissimum summopere laudavit, & deinceps perpetuò obvari præcepit.

Ex quibus omnibus hætenus allatis testimoniis nunc colligere possunt Sacerdotes, quàm magnam de Sacerdotii Ordine & honore æstimationem concipere, quancumque diligentiam & conatum adhibere debeant, ut, quemadmodum sapienter monuit S. Ambrosius cap. 3. de Sacerdotii dignitate, dignas tali statu virtutes & dotes compareant, suam professionem suam actione potius, quàm nomine demonstrarent, ut & actio respondeat nomini, & nomen cum operibus incidat.

